



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Mantuanum, Quo Cadalovs Pseudopapa Iterum condemnatur, & Alexander a criminibus sibi obiectis expurgatur, defenditur & absoluitur anno MLXIV. tempore Alexandri papae II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

CONCILIVM MANTVANVM, ANNO
 QVO CADALOVVS PSEVDOPAPA ITERVM
 1064.
 condemnatur, & Alexander a criminibus sibi obiectis
 expurgatur, defenditur & absoluitur anno M L X I V.
 tempore Alexandri papæ II.

N O T A.

Causa &
 occasio ce-
 lebrati
 Concilii.

* *Concilium.*] Cum Cadalous schismaticus Romæ condemnatus
 fuisset, illi qui partes ipsius tuebantur novas calumnias novasque
 turbas creabant Alexandro, obicientes illi quod collata pecunia
 thronum apostolicum conscendisset: vt scilicet hac ratione alios ab
 Alexandro abriperent, aliosque mutuo inter se digladiantes hac de re
 constituerent, & sic partes suas roborarent. Accedebat, quod a pro-
 ceribus imperii sanctus Anno Coloniensis archiepiscopus, cui cura &
 administratio imperii demandata fuerat, Romam ablegatus, coram
 Alexandro pontifice & cardinalibus diceret, per istam Alexandri e-
 lectionem priuilegiis & iuribus regis Germaniæ summam iniuriam
 illatam, vtpote quæ aliter, quam hætenus consueuerit, sine consen-
 su & auctoritate regis habita fuisset. Quod cum Hildebrandus in
 præsentia cardinalium constanter refutasset, nihilque iuris in electio-
 ne Romani pontificis regi concessisset, quodque illi prætendebant,
 non ius at tyrannidem esse ostendisset; rogatu sancti Annonis aucto-
 ritate apostolica indicta est Synodus in partibus Lombardiæ cele-
 branda apud Mantuam, qua ipse pontifex, licet illud a dignitate sua
 alienum foret, electionem suam legitime & iuste factam ostenderet.
 Hortatu pontificis interfuerunt Petrus Damiani Ostiensis episcopus,
 sanctus Anno Coloniensis archiepiscopus. Ex Hispania Manio Cala-
 guritanus, Eximius Aucensis, & Fortunius Alanensis adfuerunt, qui
 pro reliquis legatione fungebantur. Inter omnes Lombardiæ episco-
 pos etiam ipse Cadalous Parmensis episcopus & pseudopontifex ius-
 su sancti Annonis præsto fuit. His præsentibus, *statuto termino exiens,*
 ait collectio Nicolai Aragonii, *Alexander papa ab Vrbe cum episcopis*
& cardinalibus, ad præfixum locum prospere, Domino auxiliante, peruenit.
Ibi autem episcopi Lombardia cum suis ecclesiarum præsulibus, præter Ca-
daloum Parmensem, quem idem Coloniensis adesse præceperat, qui remor-
dente conscientia se absentauerat, pariter conuenerunt. Cum in Synodo
eadem cum episcopis Alexander resideret, causam electionis suæ ita diserte
rationibus manifestis comprobauit, atque se de omnibus, quæ sibi ab amu-
lis malitiose obiecta fuerant, excusauit sufficienter, adeo quod episcopos
Lombardiæ qui sibi fuerant aduersari, beneuolos reddiderit & subiectos.
Sedato itaque per Dei gratiam imperii & ecclesiæ scandalo, post solutio-
nem Synodi Alexander papa Romam ac ceteri ad propria hilares redie-
runt. Quod Sigebertus addit, Alexandrum pontificem a crimine

Pontifex
 rogatu san-
 cti Annonis
 hanc Syno-
 dum indi-
 cit.
 Qui inter-
 fuerint

Alexander
 papa inter-
 fuit.

Acta Con-
 cilii.

ANNO
 CHRISTI
 1064.

simoniæ, quod ei imputatum fuerat, se adhibito iuramento expurgasse, Otto Frisingensis negare videtur: qui cum agit de eiusmodi accusatione Romam missa ab Henrico rege, nihil habet de accusatione criminis simoniæ, quo postulatum referunt Alexandrum: sed ipsum regem eius delicti reum constitutum affirmat, eaque de causa eiusdem pontificis literis Romam esse vocatum. Et quamquam certo ignoretur quæ post hæc in Synodo gesta fuerunt, tamen hoc omnes affirmant, Cadaloum in eadem condemnatum fuisse. Tradunt enim omnes scriptores eius temporis, quod his duobus Conciliis condemnatus militem armauerit, Urbemque aggressus, ut Alexandrum a sede Petri exturbaret, contumeliose pulsus & victus fuerit, paucisque post diebus quam ab Alexandro veniam petiisset, & impetrasset, malam mortem incurrerit. Vide epistolas Alexandri ad Geruasium Rhemensem archiepiscopum. Baronius anno 1064. numero primo & sequentibus.

Cadalous
 pseudopa-
 pa iterum
 condemna-
 tus, post ve-
 niam peti-
 tam, male
 obiit.

CONCILIVM BARCINONENSE
 IN QVO LEGES GOTHICÆ, QVIBVS
 Catalauni utebantur, plane sunt abrogatæ, anno Domini
 MLXIV. tempore Alexandri papæ II.

NOTA.

* *Concilium.*] Episcopi Hispani, qui Mantuano Concilio interfue-
 runt, reuersuri in Hispanias, duxerunt secum ab Alexandro papa de-
 cretum legatum a latere Hugonem cardinalem, cuius auctoritate
 Barcinone hæc Synodus congregata fuit, in qua leges Gothicas, qui-
 bus Catalauni utebantur, penitus abrogauit, nouasque sanxit, qui-
 bus populus hæcenus utitur. Ut autem ritus Gothici in sacris adhi-
 beri soliti abrogarentur, ab illis obtinere non potuit, nec cogere vo-
 luit, cum iidem in Concilio Mantuano catholici esse cogniti fuissent.
 In eadem Synodo Alexander papa tamquam germanus pontifex est
 receptus: Cadalous autem communibus omnium votis est condem-
 natus. Baronius prædicto anno, numero 42.

Causa &
 acta Con-
 cilii.

ANNO
 CHRISTI
 1065.

CONCILIVM ROMANVM II.
 CONTRA INCESTVOSORVM HÆRESIM
 celebratum anno Domini MLXV. tempore Alexandri
 papæ II.

NOTA.

* *Concilium.*] Hoc tempore hæresis Incestuosorum a quibusdam
 iureconsultis excitata atque defensa est, qui auctoritate Iustiniani
 Incestuo-
 si hæretici

Pppp iij